



ISAGOGE  
DE  
SCOPO EXODI,  
SIVE LIB. II. MOYSIS,  
EJUSQUE  
VITA AC CHARACTERE.

---

I.

**L**iber MOYSIS II. Græcis Εξοδος, Hebræis שמורת יאלה dictus, inde a morte JOSEPHI ad erectionem tabernaculi usque, Israelitarum historiam spatio 145 circiter annorum per 40 Capita enarrat.

II. Potiorem hujus historiæ partem sistunt mira Israelitarum in Aegypto propagatio, eorumque durissima ac diuturna sub variis Regibus servitus, tandemque extorta ope decem plagarum gravissimarum Aegyptiis inflictarum dimissio, liberque exitus,

transitus maris rubri, protensâ ad 40 annos per desertum Arabiae oberratio, legesque fundamentales pro rite ordinando Israelitarum statu publico ad montem Sinai datæ.

III. MOYSEN ipsum ea omnia, quæ tum in hoc, tum in tribus subsequenter libris saltem a C. II, II. gesta narrantur, ultima Deuteronomii parte forte excipienda, primum litteris ad posterorum memoriam consignasse, non servata licet ubique curate temporis ferie, ex pluribus Criteriis indubiis certum est, etsi quando, & ubi is singula scripserit, adhuc incertum maneat.

IV. Quæ in Libro I. sive Genesi, ab Origine mundi de statu, moribus gestisque hominum tam ante quam post diluvium viventium historice recenset, ea partim ex majorum fida traditione, partim ex variis litterariis fragmentis, quæ jam præextitisse Crisis limatior argumentis haud contemnendis hodie vix non convincit, collegisse, Deo tamen, ne scribendo erraret, ubique, quocumque demum modo præcavente, absque absurdo statuitur.

V. Utrum

V. Utrum  
 suisus fuerit  
 co, quem in  
 edoctus fuisse  
 maritano, pro  
 disputamus: c  
 hac controversi  
 tions definitum  
 copos Philolog  
 hanc nium fuisse  
 dem, quem h  
 libent, utpote  
 lonico redonce  
 primi retuler  
 \* Vid. Ezer  
 S. 63. &  
 VI. Illud  
 ejusmodi dotti  
 ac eas ubique  
 verdis Seb  
 ma etiam  
 storiograph  
 scriptis hac  
 sana ration  
 receptis, si  
 populo heb

V. Utrum MOYSES in conscribendis libris suis usus fuerit Characterè Phœnici-ægyptiaco, quem in aula regia Aegypti abs dubio edoctus fuisse subponitur, sive veteri Samaritano, prout aliis praeplacet, hic non disputamus: cum nihil certi hucusque de hac controversia ob defectum sufficientis rationis definitum fuerit. Id saltem contra antiquos Philologos evictum videtur, eum haud usum fuisse characterè Chaldæo quadrato, quem hodierna Biblia hebræa exhibent, utpote quem Judæi ab exilio babilonico reduces e Chaldæa secum in patriam primi retulere.

\* Vid. EICHORN Einleitung ins A. T. I. Theil S. 63. & seqq.

VI. Illud nobis magis exploratum est, ejusmodi dotibus MOYSEN instructum fuisse\*, ac eas ubique cautelas suis in libris conscribendis sedulo adhibuisse, quas vel severissima etiam Crisis in quovis alio probato Historiographo requirit: nihil præterea in ejus scriptis hætenus detegere licuit, quod aut sanæ rationi aut moribus Orientis ævo ejus receptis, sive demum Oeconomiae Divinae populo hebræo impensæ vel in minimo repugnet,

pugnet; adeoque is omnem meretur fidem; quidquid demum hodierni increduli, qui antiquos mundi vix primum nascentis, vel etiam jam adolescentis mores, non nisi proprii, modernique sæculi gustu velut unica decempeda dimetiri gestiunt, Crisi sæpe plus exorbitante oblatrent.

\* Vid. infra numero XVII.

VII. Natus erat (ut brevem vitæ ejus fynopsin sistamus) circa A. M. 2433. ex legitimo thoro AMRAM patris, matrisque JOCHABED \* ex stirpe LEVI, Nilo lapsis a natiuitate tribus mensibus a parente expositus, provideque a communi infantium cæde ab Aegypti Rege imperata seruat, a PHARAONIS filia in filium adoptatus, omnique Aegyptiorum sapientia \*\* ibidem excultus fuit. \*\*\*

\* Exod. II, 1-2. VI, 20.

\*\* Act. VII, 22.

\*\*\* Ex his manifeste refellitur summa illorum nequitia, qui MOYSEN ceu filium spurium cuiusdam ægyptiæ Principis, impio mendacio traducere haud erubescunt. Vid. in den N. R. Begebenheiten 1786. Neunter Jahrgang drittes St. recens. blasphem. script. cui titulus: Philosophische Betrachtung &c. a pag. 187. & seqq.

VIII.

VIII. Spreta subin adoptione, aulaque regia deferta suos tandem invisit fratres \* anno vitæ suæ XL \*\*, ob percussum quendam ægyptium, tanquam injustum confratris hebræi aggressorem, fuga vitæ suæ consulturus, Aegypto exiit, atque in MADIAN concessit, suamque ibi operam pascendis JETHRO Sacerdotis cujusdam Madianitæ gregibus spatio XL annorum \*\*\* adsumpta ad thorum illius filia SEPHORA sacravit.

\* Exod. II, II.

\*\* Conf. Exod. VII, 7. cum Aët. VII, 30.

\*\*\* Aët. VII, 30.

IX. Quae de gesto a MOYSE contra Aethiopes bello, ductaque in uxorem Principe Aethiopissa JOSEPHUS \* fufius describit, MOYSE ipso de hoc altum silente, sublestae admodum fidei nobis videntur; utut eum artis bellicae undecunque demum haustae pro illo aevo optime gnarum fuisse, lubentes fateamur.

\* JOSEPHUS Antiq. Jud. Lib. II. c. V. n. X. edit. Colon.

X. Exactis in cura pecudum XL. annis \* MOYSEN pascendis ovibus adhuc inten-

tum, adparens in Rubo ardente Deus ad montem Horeb ad se vocat \*\*, eumque etſi reluctantem ab initio Legatum ad PHARAO-  
NEM, Ducemque educendi e ſervitute Aegypti populi Hebræi conſtituit.

\* Exod. III & IV.— Act. VII, 30.

\*\* Sunt, qui hanc fimilesque alias Dei adparitiones, quas MOYSES tum ſibi, tum Patriarchis ante- & poſt diluvium non ſemel factas, ſuis in libris velut vera facta ſtilo ſimplici & infucato paſſim enarrat, nonniſi meris ſomniis ea potiffimum ex ratione adnumerent, quod hæ Deum ſui quaſi oſplum hominibus nimium familiarem olim fuiſſe proderent, ejuſque infinitam majestatem indigniſſimo hoc agendi modo proſus deprimerent &c. ideoque Philoſophiæ ſaniori, magisque excultæ hodie aperte refragentur. — Cauſam vero, cur hos, pluresque alios eventus nonnihil inſolitos a ſolo Deo ceu unico ac immediato autore produci, cœca fide olim promiſcue creditum fuerit, abunde, inquiunt, ſubpeditavit pro illa mundi naſcentis infantia, craſſa naturæ, nexusque inter cauſas & effectus naturales mutui ignorantia, juvenilis adhuc hominum ſolis ſenſibilibus adſuetorum conditio, ratio necdum ſat evoluta, intellectus in formandis abstractis rerum ideis parum exercitatus &c. quæ quidem omnia vel ex ipſa lingua, quæ tunc uſui fuerat, ceu fida conceptuum internorum indice ultro manifeſta eſſent; Ita paſſim ratiocinantur *Criticæ*, quam *ſublimiorem* vocant, Authores atque

atque Patroni — Verum nova hac philosophandi, veterumque scripta biblica interpretandi methodo semel admiffa, quid pronius est conjicere, quam, quod MOYSES fuis in libris, aut quisquis demum illorum Autor, turpiter posteris illudendo pro veritate fabulas, pro factis genuinis nonnifi somnia, commentave obtruserit? quo stante, quomodo sua MOYSI stabit autoritas, quam ipsimet, qui hanc V. T. Hermeneuticam suggerunt, ipsaque V. T. scripta, saltem pleraque ceu canonica habent, christiano aliunde nomine gloriantes, passim summe venerantur, & ab inanibus cavillis toties jam refutatis vindicare porro adnituntur. Ponamus enim, uti prætenditur, MOYSEN tantum somniasse, se a Deo vocari, somniasse tantum, se qua Legatum a Deo ad PHARAONEM pro liberandis e Servitute Israelitis mitti, baculum Serpentis, aquas sanguinis naturam vi naturali induisse, ignem fumantem tempore prævisæ tempestatis in monte Sinai ab ipsomet MOYSE ad terrendos circumstantes Israelitas incensum fuisse, legesque suas velut a Deo datas populo decepto eum promulgasse, &c. utut hic etiam monti vicinus MOYSEN cum JEHOVA in nube abscondito loquentem propriis audiisset auribus — nisi denuo fallat historia Exod. CC. XIX. & XX. relata — nonne mundus pene universus a plurimis abhinc sæculis solidissimo errore, nemine vel sapientissimo etiam eum advertente, deceptus fuisset, communi fide credendo, — scepticos & stulte incredulos quosdam si excipias, — MOYSEN vere a Deo vocatum, vere a Deo ad PHARAONEM Legatum missum, leges

vere a Deo latas promulgasse? &c. Hæc ipsa verò tum Providentiæ divinæ, tum characteri MOYSES ab omni, ut fatentur ipsimet novi Hermeneutæ, fallacia longe remotissimi non possunt non repugnare.

Porro erantne Israelitæ MOYSES ætate adeo adhuc infantes, hebetes, facile creduli, nullius artis, scientiæ aut experienciæ gnari: postquam etiam longissimum idque familiare eos inter & Aegyptios tunc saltem præ aliis populis magis exultos, interceserat commercium, ut MOYSES Somniis ludicris abreptus fallere eos quoque tam sæpe, tam aperte potuerit? credat hoc Judæus Apella.

Tandem, quid Deus, hominibus quocunque demum modo adparens, sui que cultus normam eis præscribens, sua majestatem indignum commisit? si quod Fides docet, non dedignatus fuerit, ipsam adeo induere naturam humanam? nisi vel ipsum etiam Evangelium & christiana Fides communi nos hætenus errore quoque deceperit, ad normam Criticæ sublimioris somnia pro veritate, factisque genuinis obtrudendo; quod tamen ii ipsi, quibus utpote Christianis hæc scribimus, haud facile concesserint. Fatendum equidem MOYSES adhuc ætate symbolicam quandam, nostroque ævo si comparatur, minus exultam cogitandi, loquendi, scribendique indolem, nedum in vulgo, sed eruditus etiam multum prævaluisse; testem vero dormientem, vel somniantem, qualis adeo MOYSES ab hodiernis Criticis sublimioribus præsumitur, ad ea, quæ sive a se ipso, sive a Deo  
vere



vere dicta, gestaque refert, confirmanda ut admittamus, a nobis impetrare ipsi haud possumus.

Vid. Urgeſchichte im Repertorium für bibliſche und morgenländiſche Litteratur Theil IV.

Item übrige noch ungedruckte Werke des Wolfenbüttliſchen Fragmentiſten in EICHHORNS allgemeiner Bibliothek der bibliſchen Litteratur I. Band 1787.

XI. Porro hanc ipſam, qua poſthac gloriſſime perfunctus eſt, legationem tanquam Divinam, manifeſtis credibilitatis ſignis, frequentibus nimirum prodigiis coram Rege, populove Aegypti palam perpetratis, variisque eventuum futurorum præſagiis in hunc finem ad amuſſim ſemper adimpletis abunde MOYSES comprobavit.

XII. Virtutem Moysis vere thaumaturgam dubiam minime reddunt, nedum penitus elidunt (prout ejus hic jaſtant A. A.) cauſae naturales ad patrandos miros illos, quos ipſemet recenſet, effectus \* in auxilium ſæpe vocatæ; dum conſtat, ejusmodi adjunctis illos fuiſſe nunquam non comitatos, ut eos MOYSES, niſi divino Lumine, ſupernaque Autoritate præmunitus, neque præ-

præſagire *certo*, neque ad nutum, prout  
eventus docuit, *producere* valuiſſet.

\* Exod. a Cap. VII ad XIV, uſque.

XIII. Præſtigiae, quas Magi Aegyptii  
Moysiſ prodigiis obponere non ſemel co-  
nati ſunt, puta, ranarum, ſerpentumque &c.  
productio, aut meri ſcientiae cujuſdam, ar-  
tiſive naturalis, quam calluiſſe non inepte  
creduntur, effectus, aut nonniſi ludicrae  
ſenſuum externorum deceptiones fuere;  
cum neque ſingulos Moysiſ prodigioſos  
effectus aequè producere, neque productos  
removeſe unquam valuerint, manifeſto li-  
mitatae admodum virtutiſ, artiſque eorum  
ementitae argumento.

XIV. Splendet inter cetera a Moysiſe pa-  
trata miracula Iſraelitarum tranſitus per  
mare rubrum, eo Duce, ſicco pede per-  
actus; hunc ipſum vero tranſitum aut ſaga-  
citati induſtriaequè ejus naturali, aut maris  
fluxui & refluxui, faventi vehementioriſ  
cujusdam venti beneficio, præter conſue-  
tum morem diutius retardato cum RR. non-  
nulliſ unice adſcribere velle, textuſ origi-  
nariuſ aperte prohibet.

XV.

XV. Leg  
blice ſtatu t  
jubente, in  
moribus,  
finique ſup  
formes; pec  
illiſ notam  
minie ſeverit  
prie inſipienti

XVI. Sec  
tot, tantisq  
Iſraelitico p  
ciis in e  
tota georo  
hibet, vel  
videtur, q  
præprimis  
que Deum  
ubique ge  
adoratio  
Omnipo  
que Cle  
que ita  
que pop  
latría atq  
tum atq

XV. Leges, quas pro formando Reipublicæ statu tum sacro, tum profano, Deo jubente, in deserto MOYSES tulit, erant moribus, climati, tempori Israelitarum, finique supremi Legislatoris adprime conformes; peccant igitur hodierni Zoili, qui illis notam aliquam, sive imprudentiæ, sive nimix severitatis non absque manifesta propriæ insipientiæ nota inurere præsumunt.

XVI. Scopus præcipuus, quem Deus tot, tantisque prodigiis in favorem populi Israelitici patratis, uberrimis simul beneficiis in eum prodige collatis præfixerat, tota gestorum serie, quam liber Exodi exhibet, vel obiter perlecta, non alius fuisse videtur, quam ut hac agendi methodo se præprimis ceu unicum verum supremumque Deum tot inter inanes falsosque Deos ubique gentium fere stultissime ævo illo adoratos, suasque infinitas perfectiones Omnipotentix, Sapientix, Providentiæ atque Clementiæ apertius comprobaret; atque ita proscripta longius, ad quam plerique populi foedissime prolapsi erant, idololatria atque superstitione, sincerum, promptum atque constantem sui unius cultum juxta

ta

ta normam a se præscriptam populo Hebræo intimius inculcaret; huncque in finem quot legibus pactisque, tot novis veluti vinculis eum sibi arctius devinciret, etsi cautelis hisce ac beneficiis non obstantibus, piis suis desideriis, sineque sanctissimo, teste Historia s., sæpius frustratus fuerit; prout id poscenti D. Defendens pluribus declarabit.

XVII. Characterem Moysis ad vivum nobis depingunt infucatus animi candor, profunda suiipsius demissio, singularis cum populo duræ cervicis in agendo prudentia, zelus pro gloria Dei imperterritus, æquitas & justitia erga omnes incorrupta, invicta in ceptis arduis animi constantia, firmissimæque in quovis eventu utut etiam desperato in Deum fiducia \* pluresque aliae dotes prorsus eximæ, quas præclara ejusdem gesta, scriptave sedulo s. Codicis lectori affatim contestantur.

\* Nisi hæc ad *aquas contradictionis Num. XX, 12.* ob populum rebellem parumper nutasse, forte nonnulli videatur.

XVIII. Falluntur igitur, falluntque immane omnes divinæ revelationis hostes, quot-

quotquot, five V. five R. ætatis increduli illi fuerint, MOYSEN velut insignem ævi sui, populique Israelitici impostorem petulanti calamo non minus, ac lingua effreni traducere vel ideo non erubescunt, ut protrita, & si fieri posset, universim contenta ejus ceu Legati quondam Divini simul & hagiographi, perperam hucusque, ut putant, crediti, quoad libros ab eo consignatos, auctoritate, ad labefactandam quoque novæ legis, five Religionis christianæ originem divinam expeditior parètur aditus; hacque proscrip̄ta (inane solamen!) tot votis exoptata, sola quidquid pro libitu in negotio religionis sentiendi, agendive libertas juxta principia a sola ratione utut corrupta, atque fallaci suggesta, tandem ubivis impune triumphet. Ejusmodi vero hominum ita abjecte sentientium, edita de hoc argumento scripta, orbique publice sine fronte magno numero obtrusa longiori hic loci catalogo recensere, præsentium pagellarum prohibent angustia. \*

\* Conf. inter alia, Scripta sparsim relata in den neuesten Religionsbegebenheiten.